









1725.

1. Bruchnerus, Guilielm. Hieron. : De iuramento studiosorum
academico auspicali. . . . 2 Sampl.
2. Bruchnerus, Guilielm. Hieron. : De negotiis filiorum &
famulas cum inter vivos, sum per ultimas voluntates.
3. Brunquellus, Jo. Salom. : Probusi academice : De sectis
et controversiis juris Justiniani interpretum, quos
glossatores appellamus, ventilationi compendi Lan-
terbachsani . . . praemissa.
4. Brunquellius, Jo. Salom. : De processu arresti ad effectum
sistendi.
5. Carporius, Jacobus : Tractationes duae : I. De ratio-
nis sufficientis principio. II : Utrum tellus sit machina
an animal? Cum defensione necessaria contra
objectiones Feuerlinianas.
6. Fickius, Jo. Jacobus : De lingua morbosum praesaga.
7. Fickius, Jo. Jacobus, Fac. med. protecurus : Programma,
quo simul et Dissertationem inung. (Theodori Franci Bonhaefori)
invenitur.

1725.

8. Friesen, Fr. Bernhard : De genuina possessionis indole.
9. Friesen, Fr. Bernhard : ad Dissertationem inang. De genuina possessionis indole a . . . Gottlieb Hamico habendam invitatio.
10. Hartleben, Johannes Mercurius : De crimine sine poena.
11. Koenig, Mercurius Conradus : Prolegomena de insigni utilitate nationum p[ro] honesti atque decori in se invicem discriminandarum, praedlectionibus semestri habemus 1725 . . . praemissa.
12. Schroeterus, Fr. Christianus : Viaticum de juramentis principum S. T. R. Germanici, particula de sacramentis principum ecclesiasticorum.
13. Schroeterus, Fr. Christ. : De praerogativa portionis statariae praee legitima, ejusque computatione ex bonis fundalibus noviter acquisitis.

14. Schroeterus, Joh. Christianus: Ord. jur. Decanus:
 Programma . . . aetui Disputatoris auspicali
 Librecht's Anteil. Huurici Heydenreichii . . . prae-
 missum.
15. Schroeterus, Johann Christianus, Ord. jur. Decanus:
 Programma, Disputatoris in eum. Johannis Gottfriedi
 Tili . . . de infinito praemissum.
16. Sturm, Basilius Gottlieb: Scholiasma de cognitione
 status publici a prudentia juris publici differente,
 quod exercitationibus juris publici praemissit ad
 easdemque . . . innotat.
17. Sturmius, Gottlieb: De distinctione juris scripti
 et non scripti antiquitatis restituta.
18. Widelius, Joann. Adelphus: De vi naturalis humanae
 medicae.
19. Wilhvoegelius, Christianus: De concurrentia diversae
 juris Delictionis competente.
20. Wilhvoegelius, Christianus: De infinito.



1725, 2 X54
DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA

DE

NEGOTIIS FILIORVMFAMI-
LIAS CVM INTER VIVOS, TVM 3
PER VLTIMAS VOLVNTATES,

Oder:

Wie weit unter väterlicher Gewalt noch stehende Kinder Con-
tracte eingehen und Testamente machen können?

QVAM

DEO T. O. M. ADIVVANTE
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
D O M I N O

GVILIELMO HENRICO,

DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM,
ANGARIAE, WESTPHALIAE, RELIQA,

EX DECRETO

ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS

PRAESIDE

GVILIELM. HIERON. BRVCKNERO,

ICTO, CONSILIARIO SAXONICO, PANDECTARVM P. P. CV-
RIAE PROVINCIALIS, FACVLTATIS IVRIDICAE ET SCA-
BINATVS ADSESSORE GRAVISSIMO

PATRONO ET PRAECEPTORE SVO DEVOTE COLENDO
PRO LICENTIA

SVM MOS IN VTROQVE IVRE CAPESSENDI HONORES
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA

AD DIEM XIX. MAII 1725.

ERV DITORVM EXAMINI PVBLICO SVBMITTIT

IOH. CHRISTIANVS RICHTER, LEVCOPETR.

SERENISS. MARGGR. BRANDENB. BARVTHINI SECRETARIVS.

IENAE, LITTERIS BVCHIANIS.

Blatt 100 verso
1700
1701
1702
1703
1704
1705
1706
1707
1708
1709
1710
1711
1712
1713
1714
1715
1716
1717
1718
1719
1720
1721
1722
1723
1724
1725
1726
1727
1728
1729
1730
1731
1732
1733
1734
1735
1736
1737
1738
1739
1740
1741
1742
1743
1744
1745
1746
1747
1748
1749
1750
1751
1752
1753
1754
1755
1756
1757
1758
1759
1760
1761
1762
1763
1764
1765
1766
1767
1768
1769
1770
1771
1772
1773
1774
1775
1776
1777
1778
1779
1780
1781
1782
1783
1784
1785
1786
1787
1788
1789
1790
1791
1792
1793
1794
1795
1796
1797
1798
1799
1800

EVILHEIMO HENRICO

EVILHEIMO HENRICO

EVILHEIMO HENRICO

EVILHEIMO HENRICO





B. C. D.

PROOEMIUM.

Contractus celebrare & de bonis suis per ultimas disponere voluntates, eorum est, qui velle possunt & cupita perficere legibus haud prohibentur. Nam voluntas princeps causa est, qua negotiis intercedente, temet aliis, alios tibi, cæteris paribus obstringi & siue res ceciderit prospere, siue minus, obligationi tamen ideo nil quidquam decedere, quia voluistis, recte existimatur. Et in ultimis dispositionibus illud præcipue spectari solet, quem sibi defunctus præ cæteris bonorum successorem & quo pacto esse voluerit. Præter voluntatem insuper legum haben-

A 2

da

da ratio est: hæc quippe normam præbent civi-
um actionibus, cui ni exacte congruant, aucto-
rem poenis subjiciunt, aut excidunt scopo, dum
nullitate laborant. E dictis subnascitur quæren-
di ansa: Num filiorum familias ea sit conditio,
ut valide pacisci, contrahere aliosve legum im-
perio subjacentes actus inter vivos perficere, ut
etiam ultima possint condere elogia? Indolent
eorum, si examines, non deficiunt, quæ dubita-
tionis nonnihil afferre queant. Etenim filius fa-
miliæ personam designat, sub patria potestate con-
stitutam h. e. ipsius voluntas, quam per atatem
animique & corporis integritatem habere propri-
am poterat, subiecta est a legibus voluntati pa-
tristamiliæ, ut adeo, quidquid suscipiendum ne-
gotii, non a filio aut ipsius nomine, sed a solo
patre aut unice in hujus commodum periculum-
ve suscipi posse videatur. Quidquid ejus sit, fi-
liis familias non omnem ademptam libertatem, eos-
que cum effectu juris, cum negotiis inter vivos,
tum ultimis voluntatibus suo modo idoneos esse,
pro ratione instituti in sequentibus ostendere con-
stitimus. Quod ut ordine fiat, expendere ju-
vabit 1. negotia inter vivos 2. ultimas eorum vo-
luntates. Faxit Deus feliciter!

TRA-



TRACTATIO.

§. I.



Ntequam rem ipsam aggrediamur, exposi-
 tio terminorum quorundam pramitten-
 da est, ut sequamur eum præeuntem no-
 bis Ulpianum *l. i. in princ. ff. d. J. & J.*
it. l. i. §. i. ff. d. pact. tum vero bonæ me-
 thodi præscriptum. Sciendum igitur, per filiosfamilias
 etiam intelligi filiasfamilias, nepotes neptesque &c. adeo-
 que in jure dari filiosfamilias masculini & fœminini ge-
 neris: vicissim vocabulum patrisfamilias exprimere simul
 avum, præavum, & sic deinceps. *l. 84. ff. d. V. S. l. 201. l.*
220. eod. §. 3. I. d. patr. pot.

§. II. Porro, filiosfamilias, quorum descriptio in
 præmio exhibita, nobis dici omnis generis tales, nec
 referre quidquam, sive nati sint in patria potestate, sive ex
 postfacto in eandem transierint *pr. I. d. patr. pot. l. ii. C.*
d. natur. lib. §. ult. I. d. nupt. & pr. I. d. adopt.

§. III. Tum, patriam potestatem, sub qua consti-
 tuti sunt filiosfamilias, hic designari, non quæ est Juris na-
 turalis, de qua Pomponius loquitur in *l. 2. ff. d. J. & J.*
 sed quæ Juris Civilis, §. 2. *J. de patr. potest.* ut ita exclu-
 dantur omnes liberi ex concubinato vel illegitima con-
 junctione procreati, qui una cum legitimis, ratione ma-



tris & per lineam femininam ascendentium spectatis, pro filiisfamilias non sunt habendi.

§. IV. His igitur generatim cognitis & incipientibus nobis exponere negotia, quæ filiisfamilias inter vivos obire consueverunt, ita ea videntur posse tradi commodissime, si primo sistamus negotia licita; deinde ad illicita progrediamur.

§. V. Ex licitis quædam ita sunt comparata, ut peragantur a filiisfamilias solis, quædam ut a non solis. Ita hic rursus vel agunt primario, adsumtis in auxilium aliis, vel secundario, non nisi consensum suum porrigentes. Posterioris generis sunt Adoptio, de qua §. 6. Emancipatio §. 8. Administratio peculii §. 9. prioris generis, Matrimonium §. 10. Postulatio certo in casu §. 12. Donatio §. 13. Votum §. 14. Ad negotia a filiisfamilias solis suscepta pertinent Testimonii dictio §. 15. Postulatio certo sed alio in casu §. 16. Bonorum Cessio §. 19. Donatio §. 20. Hereditatis aditio §. 21. Votum §. 22. Pactum in genere §. 23. in specie Datio mutui §. 25. Eidejussio §. 26. Illius generis conventiones, quæ præter filiumfamilias simul & patrem obligant §. 27. de singulis seorsim.

§. VI. Adoptio agmen ducit inter negotia, quæ modo recensuimus, non ea solum, quæ speciatim hoc titulo insignitur, sed etiam, quæ proprio nomine dicitur Adrogatio: ubi nimirum vel filiusfamilias adoptatur ab aliquo ascendentium, v. gr. avo materno aliove, in cuius potestate non est; vel paterfamilias in locum nepotis, quasi prognatus ex filio, quem adrogans jam habet in potestate sua. Consensum filiisfamilias in utroque casu esse necessarium, penitus rem insipienti facile innotescet. In priori enim illum requirit ipsa lex §. 8. *Inf. quib. mod.*

mod. *jus patr. pot. solv.* Ratio autem legis fuit ex natura actuum voluntariae jurisdictionis, utpote qui omnem partium coactionem respiciunt *l. 2. in pr. ff. d. off. procons.*

§. VII. In casu posteriori consensus filii familias, ratione cujus nepos constituitur, non quidem ad validitatem adrogationi in se conciliandam desideratur; hæc enim robor accipit ab avo adrogatore & adrogando nepote, inter quos solos res agitur *§. 5. ff. d. adopt. & nisi filius familias consenserit, adrogatio nihilominus valebit simpliciter & tanquam facta ex incerto vel jam mortuo filio l. 43. §. 2. l. 11. ff. d. adopt. VINNIVS ad §. 7. Inst. eod.* Veruntamen hæctenus ille consensus necessarius est, ut, avo adrogante mortuo, nepos possit recidere in potestatem filii eique tanquam suus hæres succedere: quia alioquin invito suus hæres adnasceretur, quod jura non permittunt *d. §. 7. Inst. eod. l. 5. ff. de his qui sui vel al. jur. l. 6. ff. d. adopt.*

§. VIII. Succedit Emancipatio & ea quidem formalis (nam virtualis, contingens in Saxoniam & plerisque aliis locis per matrimonium vel œconomia peculiaris institutionem *Land. N. L. 1. a. 31. 45.* in illa incidit negotia, quarum filiisam, soli vel primario obeunt.) Ad hanc tantum abest, ut cogi possint filii familias, ut potius Imperator Anastasius consensum eorum adhibendum expresse mandaverit in *l. 5. Cod. de emanc. lib. cui convenit Nov. 89. c. 11. nec sine ratione, quia invito non datur beneficium l. 69. ff. d. R. 7. & liberalitas nolenti non potest acquiri l. 19. §. 2. ff. d. donat.* quum ad donationem non oblatio solum ab una parte, verum & acceptatio ab altera requiratur.

§. IX. In censum hic venit quoque Administratio peculii, scilicet adventitii regularis. Hæc alias propter jus

806

Jus usufructus patri liberrime ac plenissime competit *l. ult. §. 4. C. d. bon. qua lib.* suo tamen modo etiam pertinet ad filium. Accidit enim subinde, ut illius nomine experiundum sit patri adversus extraneum ex diversis causis, Quoties igitur hoc fit, tunc vel quaritur de usufructu, quo intuitu administratio illa hujus loci non est: vel quaestio agitur de proprietate, & hoc casu pater solus nihil agit, sed opus habet consensu filii per *l. fin. §. 3. Cod. de bon. qua lib.* De cætero illud verum tantummodo est de filiofamilias ad minimum minore, sive, uti lex loquitur, secundæ ætatis, cui opponit filium primæ ætatis seu impuberem. Præterea exigitur filii præsentia: Si enim longe absit, præfata dispositio cessat. *d. l.*

§. X. Pergimus ex lege ordinis ad nuptias s. matrimonium, quod si velint contrahere filiofamilias, sicuti legibus non prohibentur, consensum habeant parentis, cujus in sacris constituti, necesse est: Quod adeo de jure Civili verum, ut consensus ille præcedere debeat *pr. l. de nupt. l. 2. ff. eod.* Et jure Codicis sufficit etiam tacitus patris consensus *l. 5. C. d. nupt.* Quid autem dicendum erit, si pater in eo statu reperiatur, ut consentire nequeat, e. g. si sit mente captus vel furiosus, cujus nulla voluntas est? *l. 40. ff. d. R. J.* Tunc defectus hicce suppletur consensu Magistratus atque Curatoris furioso dati, præsentia item nobiliorum ex furiosi dementisve genere *l. 25. C. d. nupt. & l. 28. C. d. Episc. aud.* Causa requisiti consensus paterni sita est in patriæ potestatis jure, quod liberos de statu suo pro arbitrio disponere, non sinit *l. 4. ff. d. R. J.* & interest patris, ne ipsi invito adnascatur heres suus *a. §. 7. I. d. adopt.*

§. XI. Jus Saxonicum ulterius progreditur & matris

171
eris insuper consensum in contrahendis liberorum nuptiis
exigit, imo avi avique in casu, ubi pater & mater non
amplius sunt superstites; eo nomine in contravenientes
liberos gravi constituta poena. *vid. Ordin. Eccles. tit. von
Che. Sachen.*

§. XII. Filiisfamilias porro permissum est certo in
casu postulare, idque non nisi consentiente patre. Con-
tingit illud in certo bonorum adventitiorum genere, quo-
rum nimirum ususfructus a patre potest adquiri, sed non
adquiritur, eo quod nolit. Nam si cuidam filiofamilias
hereditas relicta sit ab extraneo, hanc ille acquirit regu-
lariter sibi quoad proprietatem, patri quoad usumfru-
ctum per *l. c. de bon. que lib.* Sin pater recuset eam,
filius potest solus adquirere pleno jure & ejus nomine in
judicio agere: ut tamen id fiat patris consensu, ad quem
adhibendum pater a magistratu cogi potest, ceu vult Im-
perator Justinianus *l. ult. in pr. C. eod.*

§. XIII. Transimus ad donationem inter vivos &
eam quidem, quae de peculio profecticio suscipitur. Hac
filiisfamilias regulariter indulta non est, quia donare est
perdere: non autem ad hoc iis conceditur peculii admi-
nistratio, quantumvis libera, ut perdant. Res tamen al-
liter se habet, si pater in donationem expresse vel tacite
consenserit. Posterius e. g. colligitur ex persona filiofam-
ilias: si enim libera bonorum administratio filiofam-
ilias senatoriae vel alterius cujusdam dignitatis concessa sit,
tunc dubitari non debet, quin facultas donandi simul da-
ta. Prius in aperto est, quando pater, liberam peculii
administrationem indulgens, nominatim adjecit, sic se
concedere, ut filiusfamilias donare possit. *vid. l. 7. ff. d. donas.*

§. XIV. Pari ratione filiusfamilias regulariter vo-
vere

vere non potest, quia voti nuncupatio requirit personam facultate donandi instructam, qualis, ut modo vidimus, filiusfamilias non est. Quodsi igitur vovere cum effectu juris cupiat, illud faciet auctoritate parentis & tunc res bene se habet. *l. 2. §. 1. ff. d. pollicit.*

§. XV. Sequuntur negotia, quæ filiifamilias soli expediunt, quorum primum Testimonii dictio. Quoniam in hoc juris articulo patria potestas nihil peculiare operatur, evidens inde est, filiumfamilias, sicut alias personas, testimonium dicere omnino posse non solum in actibus aliorum inter vivos, sed etiam ultimis voluntatibus. Accedit, quod veritatis tantus sit favor, ut ea, quæcunque ratione possit commode haberi, non negligenda: eadem autem ex testimonio filiorumfamilias, natura haud impeditorum, non nunquam obtineri posse, minime dubitandum. Quemadmodum igitur, ut filiifamilias testimonium perhibere queant, id ipsis commune est cum aliis: ita etiam communibus exceptionibus a testimonio arcantur, v. g. quod testari vetentur pro arctissime conjunctis & contra eosdem *l. 9. ff. de test. l. 6. C. eod.* porro quod filiasfam. non admittatur ad testimonium in testamentis *§. 6. l. d. test. ordin.* Quod eadem repellatur in causis feudalis *II. feud. 32.* idque genus aliis.

§. XVI. Recurrit Postulatio, sed alio respectu & quatenus duntaxat est de numero eorum, quæ filiusfamilias solus peragit. Hoc intuitu ille postulat non tantum generatim pro omnibus, quia inter prohibitos non invenitur, sed speciatim etiam cum pro parente, tum pro se ipso. Pro parente postulans duobus gaudet privilegiis, quorum alterum, quod admittatur in iudicio sine mandato *l. 35. pr. ff. d. procurat. l. 12. C. eod.* alterum, quod
nec

§) 0 (§)

nec arceatur jure Civili, licet infamia sit notatus per *l. 1. §. 11. ff. d. postul.* quod tamen hodie in Camera mutatum, cum patrocinii præstatio ejusmodi hominibus penitus interdicta. vid. *Ord. Camer. P. I. tit. 18.* Quamvis autem pro parente postulanti, ob archissimam conjunctionem, mandatum remissum sit, non tamen is immunis est a cautione rati *l. 3. §. 3. ff. judic. solv.* & beneficium illud prorsus cessat, si agatur de negotio, speciale mandatum requirente. *a. l. 7. C. d. Reb. Cred.*

§. XVII. Pro se ipso postulat filiusfam. dum agit vel contra parentem, vel contra extraneum. Contra parentem agit actione præjudiciali, quando pater eum filium esse negat. *a. l. 1. §. 15. ff. d. agnosc. & al. lib.* Adversus eundem porro experitur actionibus personalibus & realibus, instituendis de peculio adventitio irregulari, quia in hoc pater nullum penitus habet participium, ut loquitur *Nov. 117. c. 1. pr.* item de peculio castrensi *l. 4. ff. d. jud.* & quod hoc imitatur, quasi castrensi *a. l. 4. C. d. Advoc. divers. judicior.* Quin filiofamilias hodiernis moribus liberum aliquando est, convenire parentem de bonis adventitiis regularibus, idque per implorationem officii judicis. BRUNNEM. *ad l. 4. ff. de jud.* præsertim si injustitia patris sit manifesta STRYK. *Us. Mod. ff. d. jud. §. 33.* Illud adhuc monendum, reverentiam patri debitam prohibere, ne filius actionibus uti queat, famam fugillantibus: hinc læso v. gr. per dolum parentis, in factum potius, quam de dolo actio instituenda erit per *l. 11. §. 1. ff. d. dol. mah.*

§. XVIII. Contra extraneum agere solet filiofamilias in causis concernentibus peculium adventitium & profectitium: adventitium, inquam, quod irregulare est ex legis dispositione, e. g. ita donata ipsi, ne patri usufructus

12
Et) o (60
ctus adquiratur. Eadem hic subest ratio, quæ præced. §. ex jure Novellarum fuit adlata, quia in his bonis patri nihil juris competit. De rebus autem profectiis extraneum pulsat in casu utilitatis vel necessitatis, e.g. quia pater, cui illud ordinarie incumberet, absens est & verendum, ne si filio non daretur actio, futurum sit, ut impudenter fraudem parjatur. Fac enim, ut casum instruat, patrem Norimbergæ esse, filium autem forte Lipsiæ studio- rum causa degere; illum hinc ad sumtum destinasse pecuniam, quam filius antea de peculio profectio mutuo dederat Mercatori Lipsiensi, effluxo nunc tempore repositurus. Quod si jam filius contra morosum debitorem agere non valeret, facile evenire posset, ut cum egestate ipsi Lipsiæ luctandum sit, viaticulo suo non recepto. *vid. l. 18. ff. d. jud.*

§. XIX. Devolvimur nunc ad hæc ilud benefici- cium Cessionis Bonorum, virtute cujus debitor, magis quam ut creditoribus satisfacere possit, obaratus, usque ad peram, quod ajunt, & saccum sese excuti permittit, quo famam servet, carcerem effugiat & si ad pingviorem fortunam pervenerit, ratione debiti residui in amplius haud teneatur, quam quantum facere potest. Hoc privilegium etiam filiis familias non denegari, expressa lege cavetur *penult. C. qui bon. ced. poss.* Vtrum recte, an minus, dubitari possit, quia hic agitur de abdicatione bono- rum; bonis autem filiis fam. ut plurimum destituuntur, ut ita objectum cessionis apud hos maximam partem desiciat. Interim ramen memorata dispositioni sua constat ratio, quia filiis non semper facultatibus sunt destituti: Quin si ex negotiis creditores sibi conciliaverint, non possunt non bona habuisse, quorum intuitu negotiati sint.

Sunt

Sunt ista bona vel castrensia, vel alia, quae patribus ad-
quiri vetita, vel denique illa ipsa, quae volentibus patri-
bus possident. Adventitiorum regularium hic non ha-
betur ratio, quoniam de iis contrahendi occasio non capi-
petit, quum administratio eorum ad patrem unice per-
tineat.

§. XX. Qua ratione filii de peculio profectiuo
donare queant inter vivos, vidimus §. 13. nunc quemad-
modum possint donationem perficere de peculio, quod
non est profectiuum, dispiciendum. Scilicet donant ii
libere ex substantia, ad peculium castrense vel quasi & ad-
ventitium irregulare spectante. Etenim in his habent
omnimodam administrationem, quum ratione bonorum
castrensiu gaudeant jure patrumfam. l. 2. ff. ad SC. Ma-
cedon. idque non solum in actibus extrajudicialibus, sed
etiam judicialibus l. 4. ff. d. jud. quod ipsum eorum jus
perdurat, postquam a militia dimissi sunt a. pr. l. quib.
non est perm. fac. test. aut dum sub aliorum potestatem
concesserunt per adrogationem l. 4. §. fin. ff. d. castren. pec.
Quod ad quasi castrensia, his omnia privilegia cum ca-
strensibus sunt communia. Militia namque togata non
minoris pretii, quam sagata, habita est a Juris Civilis con-
ditoribus. Elegantissime hanc in rem differunt Impera-
tores Leo & Anthemius de quasi militibus Advocatis in l.
14. C. d. Advoc. divers. judicior. quam optime agnoscetes,
eos in rebus publicis ac privatis lapsa erigere (de genuinis
sermo est, non de Rabulis, de quibus videatur omnino
Cass. Ziegl. in Rabulistica) fatigata reparare, adeoque non
minus providere humano generi, quam si preliis atque vubne-
ribus patriam parentesque salvarent; & paulo post a o-
mnino militare dicendos esse causarum patronos, quum la-

borantium spem, vitam & posteros defendant. In adventitiis irregularibus quidem filiisfam. pro patribusfam. non habentur, possunt tamen de iis disponere, quomodocunque voluerint, inter vivos *Nov. 117. c. 1.* Ergo & donare.

§. XXI. Hujus loci quodammodo etiam est Adquisitio delatae hereditatis, ab extraneo factae filiosfam. Nam si in ejus aditionem pater certis de causis consentire nolit, filio permittitur eandem acquirere solum, qua proprietatem, qua usufructum : & accensetur illa hereditas postmodum bonis filii adventitiis irregularibus *l. fin. pr. C. de bon. qua lib. Conf. supra dicta §. 12.*

§. XXII. Filiosfam. sine adhibito patris consensu votum nuncupare haud posse, pro regula dictum est supra §. 14. quae regula habet exceptiones, ad hunc locum pertinentes. Nimirum distinguere oportet inter vota personalia & realia. Ratione votorum personalium filiusf. libere agit, si ita sint comparata, ut iis stantibus, salva stet disciplina domestica & jus patrium : horum enim consideratione contingit, quod filiusf. alieni juris dicatur. Quod ad vota realia, ea filiusf. citra parentis consensum solus suscipit, quatenus fiunt de rebus, quarum habet liberissimam administrationem : quae quales sint, ex retro dictis abunde constare censeo. *conf. §. 20.*

§. XXIII. Subsequitur pactum generatim spectatum, sive conventio, quo nomine comprehenduntur pacta nuda, legitima & adjecta, contractus item & quasi contractus. Haec omnia valide iniri a filiisfam. posse, id vero expeditum est jure Civili & hodierno, quum illi hoc intuitu personarum habilium loco usquequaque habeantur. Jus Civile quidem ad nuda pacta auctoritate sua plenarie non pertingit, reliqua satis roborans *l. 7. §. 4. ff. d. pact.*

pacē. l. 13. § 14. ff. d. cond. indeb. l. 6. ff. d. compens. mē-
dentur tamen huic defectui mores hodierni, qui pactis
nudis æqualem cum cæteris effectum addiderunt. STRUV.
S. J. C. Ex. 17. l. 26. 32. Agite videamus, ecqua ratione,
quæ dicta sunt, admitti debeant. Summatim igitur scien-
dum, ex memoratis negotiis omnibus filiumf. obstringi,
non secus ac patremfam. ex iisdem teneri novimus l. 39.
ff. d. O. § A. S. 6. I. d. inutil. Stip. Consequitur inde,
posse eum conveniri in solidum l. 44. ff. de pec. succum-
bentem condemnari l. 5. pr. ff. quod cum eo qui. adversus
damnatum executionem decerni, quin & suscipi actu in
bona, quæ possidet a. Nov. 117. C. 1. Quia autem sapi-
sime contingere solet, ut nihil bonorum, in quæ fiat exe-
cutio, præsto sit, tunc ea differenda est, usque dum no-
ster sui juris evadat. Quod dum est factum, jura diver-
simode pro diversitate casuum disponunt. Nam aut ex
substantia patris tantundem accepit, unde creditores pos-
sint suum obrinere, & tenetur iis in solidum l. 44. de pe-
cul. a. l. 4. ff. quod cum eo. aut minus debito, vel nihil pe-
nitus ad eum pervenit, & tunc gaudet beneficio compe-
tentiæ, a Pratore ei concessio, quod efficit, ne ad plus
præstandum compellatur, quam quantum salvis alimen-
tis potest facere l. 2. ff. quod cum eo. Durum quippe vi-
debatur Pratori, filium consuetas obaratorum molestias
subire oportere propter negotia, ex quibus nullum vel
exiguum compendium sentire poterat. BOEKELM. adit.
ff. quod cum eo. Amittit tamen memoratam privilegium,
si dolose versetur in negotiis l. 6. ff. cod. e. g. si, dum pa-
cisceretur, patremf. se se sit mentitus l. 4. S. 1. ff. cod.

S. XXIV. Quæ de obligatione filii, in medium pro-
 lata sunt, ea tunc obtinent, quando agit cum extraneo:

sed

sed quando ipsi res est cum patre, hæc longe se habent aliter. Nam quia patris & filii eadem persona, eadem esse vox dicitur §. 4. & 12. *I. d. inutil. Stip. l. ult. C. d. impub. & al. substit.* hæc unitas impediatur necesse est obligationem: nemo enim sibi ipse potest obligari *l. ii. ff. d. l. g. i.* Quapropter filius, haud recte stipulatur a patre, in cuius potestate est, sicut nec pater a filio, quem habet in potestate §. 6. *I. d. inutil. stip.* Hinc non potest filius, cum patre emtionem venditionem similiaque negotia celebrare *l. 2. ff. d. contr. em. vend. Conf. ANT. FABER in Ration. ad h. l.* E converso ubi unitas persona vel desit, ut facta emancipatione; vel non attenditur, ut ratione bonorum castrensiū vel quasi; tunc nihil impedimento est, quo minus filius patri & vicissim pater filio in quibusvis negotiis non secus ac extranei, valide obligentur, conf. citat. *l. 2. ff. de contrab. em.* Unitas ista porro efficit, ut filius, patri seu pro patre utiliter stipuletur jure Civili, quum alias, eo jure, alii pro alio id licitum non sit §. 4. *I. d. inutil. stip.* De cætero mores hodierni, stipulationem tertio cuiquamque factam admittunt in vim pacti, dummodo concurrat paciscendi intentio & tertii, ex postfacto saltem, accedens consensus MEV. P. 4. *Decis. n. SCHILT. Exerc. VIII. th. 39.* Hæc de pactis in universum.

§. XXV. Speciatim observandum est circa Mutuum, illud e numero contractuum, quos filijfam. ineunt, proscribi solere: quod qua ratione verum sit, videndum. Scilicet possunt filijfam. mutuum pecuniam dare, verum accipere non debent ab aliis: imò accipere quidem prohibentur ipsi, sed alii illis eam dare. Quod si nihil oscius dederint, habent accipientes obligatos naturaliter & civiliter,

viliter, sed illa obligatio indeque descendens actio, ener-
vatur per oppositam exceptionem SCti Macedoniani; quod ipsum eodem recidit, ac si mutuo dans accipientem non habuisset obligatum; quia nihil interest, ipso jure quis actionem non habeat, an per exceptionem ea infir-
metur *l. 12. ff. d. R. J.*

§. XXVI. Ordo nos ducit ad fidejussionem, quae inter negotia filiorum. jure meritoque refertur, quum etiam hi intercedendo se obligare valeant; modo excipi-
as filiasfam. de quibus singulariter constitutum SCto Velle-
lejano, quod fidejubentes non magis teneantur, quam ma-
lia ex foeminis, *l. 2. §. 1. ff. ad SC. Vellej.* Filius. itaque masculus recte pro aliis fidejubet, & quamvis id libere fa-
ciat pro extraneis, in favorem tamen parentum peculia-
riter provisum, ut ad fidejussionem pro his interponen-
dam certo modo cogi possit: nimirum quando parentes, carceri inclusi, filium, ut pro se relaxandis cautionem praestet, rogarunt, iique insuper tantum in bonis habent, ut filius, cautione praeslita, securus sit. Si enim rebus sic comparatis, illud facere detrectet, hoc parentibus sufficiens causa reputatur, ob quam eum exheredare possint *Nov. 115. c. 3. §. 8.* nec immerito, ne impune ei sit, totac tanta a genitoribus accepta beneficia parum grato agno-
visse animo.

§. XXVII. Praterca dantur negotia, quae a filiof. susce-
pta, non ipsum modo obligant, verum & patrem e-
jus. Stricto quidem jure civili certissimum est, neminem ex alterius gesto obligari *§. 10. I. d. act. l. 3. C. ne ux. pro mar.* aequitatis tamen ratio certis casibus aliud svasit. Te-
netur itaque paterfam. ex negotio filii, vel quia in utilita-
tem ejus gestum, de quo *§. 28.* vel quia voluntas patris ad

C

illud

§ 101 § 50

illud concurrat, quæ voluntas vel expressa est §. 29. vel colligitur cum ex commissio officio maritimo §. 30. tum terrestri §. 31. & ex concessione peculii totalis §. 32. & partialis §. 33.

§. XXIX. Ex negotio filii, unde emolumentum sensit pater, hunc teneri, rationi prorsus consentaneum est, quia tertius, qui hoc intuitu contraxit, quasi cum patre contraxisse videtur *l. 1. ff. de in rem vers. & jure natura æquum est, neminem cum alterius detrimento fieri locupletioem l. 206. ff. d. R. J.* Emolumentum autem in patrem redundans si versum in rem patris intelligitur, quod ejus nomine impensum est necessario vel utiliter §. 4. *Inst. quod cum eo. l. 3. §. 1. l. 5. l. 6. ff. d. in rem vers. unde pater locupletior factus est vel fieri potuit l. 3. §. 7. l. 17. pr. eod.* & habet tertius contra patrem actionem vel prætoriam de in rem verso, vel civilem, e. g. locati, quando filius locationem in utilitatem patris celebravit; emti, celebrata emtione & sic porro. §. f. *J. quod cum eo.*

§. XXX. Quodsi pater porro expresse voluit, ut filius cum tertio negotii quidpiam susciperet, siue præcedat voluntas ipsius, siue comitetur actum siue sequatur; quacunque etiam ratione ea declaretur: tunc non minus teneri patrem ex negotio isto æquum est. Nam qui jussu alterius cum aliquo paciscitur, quodammodo paciscitur cum eo, qui jubet, dum fidem ejus sequitur, *a. l. 1. ff. quod juss. j. l. 7. §. 1. Cod. quod cum eo.* & habet tertius contra patrem iterum actionem vel prætoriam quod jussu, vel civilem directam eamque pro negotii varietate variam §. f. *Inst. quod cum eo.*

§. XXX. Interdum fieri solet, ut pater filio, quem in potestate habet, magisterium navis conferat: quod dum

dum egit, simul omnia concessisse creditur, quæ ad munus rite obeundum sunt necessaria. Inde consequens est, ex quibusvis negotiis, inter filium & extraneum hoc nomine celebratis, patrem obstringi, quia non tam filius, quam pater per filium contraxit: nam quod quis facit per alium, id ipse fecisse putandus est *c. 72. d. R. J. in 6.* sicut e contrario paterf. exercitor navis eos habet obligatos, qui cum filio magistro egerunt *pr. Inst. per. quas pers. nob. obl. aqu.* quod in Magistris, qui sunt personæ sui juris, secus est. Convenitur autem pater vel actione civili directa *§. f. Inst. quod cum eo. j. l. 29. ff. d. R. J.* vel actione prætoriana exercitoria, de qua *tot. tit. in ff.* habetur.

§. XXXI. Idem dicendum de negotiis filiorumf. qui tabernæ vel cuilibet negotiationi terrestri præfedi sunt a patre, qui itidem convenitur actione tam civili directa *dict. §. fin. Inst. quod cum eo,* quam prætoriana. *vid. tit. ff. de inst. act.* Illud tamen discrimen intercedit inter filiumf. magistrum & filiumf. institorem, quod magister patrem exercitorem obliget in solidum, institor tantum quoad merces, in quibus negotiatus est *l. 1. §. 20. ff. d. exerc. act.*

§. XXXII. Ulterius huc pertinent qualibet negotia, quæ filiisf. ineunt cum aliis intuitu peculii profectii. Ex his paterf. itidem obligatur, eo quod hujus voluntas ad ea peragenda concurrat. Dum enim pater filio peculium concessit, simul concessit jus contrahendi, sine quo illud inutile foret *l. 1. §. 5. ff. d. aqu. poss. VINN. Com. Inst. ad §. 3. quod cum eo.* Unde simul apparet, patrem non teneri in solidum, sed in quantum in peculio est & conveniri actione de peculio. *§. 10. Inst. d. act.*

§. XXXIII. Paterfam. obligatur non solum ex conventionibus iniis a filio intuitu peculii totius, eidem concessi,

cessi, sed interdum etiam ratione partis, puta mercis peculiaris, in qua filius negotiatur. Quando enim pater scit, filium negotiari, & tamen, ne id faciat, non prohibet, certissimum est, filium quæcunque agit intuitu mercis, agere volente patre. Quare æquum est etiam, ut pater creditoribus, qui ad eum in negotiis cum filio factis respexerunt, de iis respondeat, & quid eorum nomine præstandum sit, præstet. Obstringitur autem inter alia ad distributionem de merce, inter creditores rite & æquabiliter faciendam: quod si negligat, coercetur actione tributoria. conf. §. 3. *Inst. quod cum eo. §. tit. ff. d. trib. act.*

§. XXXIV. Sequuntur negotia inter vivos illicita seu delicta, quæ a filiis perpetrari solent. Delicta generatim considerata suos tenent autores *l. 22. Cod. d. pen.* quod etiam de filiis, verum est, quodque ii cum aliis delinquentibus habent commune: sunt tamen quædam ipsis quoque peculiaris. Etenim actus eorum contra leges suscepti quandoque pro nullis habentur; interdum subsistunt quidem, sed transgressores sua manet pœna, quæ nonnunquam ordinaria gravior, nonnunquam levior est, nonnunquam non autorem, sed loco illius alium ferit;

§. XXXV. Ita filiusfam. qui dissentientibus parentibus matrimonium contrahit, in eo delinquit, quum eorum consensum adhibendum esse supra monuerimus & Civili & Saxonum jure. Punitur hoc delictum jure Civili nullitate matrimonii: *pr. l. d. nupt. l. 4. ff. d. R. J.* Jure Saxon. distinguitur, utrum sponsalia clandestina consummata sint a liberis solum per copulam carnalem, an vero simul per benedictionem sacerdotalem. Priori casu obtinet exhereditatio liberorum in solidum facta vid. *§.*

he-Ordnung tit. von Ehe-Geldnissen : posteriori ex-heredantur liberi pro dimidia parte legitimæ, interdum etiam in solidum, urgentibus iustis denegati consensus causis. d. tit. §. und da sie §. würden.

§. XXXVI. Filiusfam. qui injuriam intulit extraneo, consuetam huic delicto poenam meretur : sin eam intulerit parenti, atrocem commisit §. 9. *Inst. d. injur.* adeoque severiori poena venit mulctandus. l. 9. §. 2. ff. d. *inj. & fam. lib.* E converso filiusf. patri quid surripiens furtum quidem facit, sed furti actio non nascitur & mitiori solet poena affici a. §. 12. *Inst. d. obl. qua ex del. nasc.* l. 2. l. 5. ff. d. *act. rer. amot. l. f. S. f. C. de furt. a O. C. art. 165.* quod etiam obtinet in filiof. expilata hereditatis reo. a. *dict. U.*

§. XXXVII. Filiusfam. porro effusione vel dejectione e domo patris facta delinquit : ex hoc suo autem delicto videtur patrem obligare ad damni dati praestationem, quia huic, ceu adium inhabitatori, incumbit cavere, ne tale quid fiat l. 9. §. 9. l. 6. §. 2. ff. d. *bis qui effud.* secus est, si filiusf. seorsim habitet : tum enim pater ne quidem de peculio ejus tenetur l. 5. §. 5. ff. d. *O. & A. j. l. 58. ff. d. R. 7.* sed filius solus & in solidum. Idem dicendum de culpa filiof. periculose quid positum vel suspensum habentis. §. 2. *Inst. d. obl. qua quasi ex del. nasc.*

§. XXXIX. Quemadmodum ex delicto filii, concurrente propria, si non vera, attamen imputata, culpa, pater interdum tenetur : ita vicissim contingit, ut filio nonnunquam patris delictum noceat, nimirum in famosissimo illo perduellionis crimine ; quod plerumque exempli loco afferri solet, quando leges Romanae iniquitatis arguantur. Verba legis §. C. ad l. *Jul. Maj. Aurea Bul. l. c. 24.* postmodum inferra, satis acerba sunt, quando di-

citur: Filii vero ejus, quibus vitam imperatoria specialiter lenitate concedimus (paterno enim deberent perire supplicio, in quibus paterni b. e. hereditarii criminis exempla metuentur) materna vel avita, omnium etiam proximorum hereditate ac successione habeantur alicui, testamentis extraneorum nihil capiant, sint perpetuo egentes & pauperes, infamia eos paterna semper comitetur; ad nullos prorsus honores, ad nulla sacramenta perveniant: sint postremo tales, ut his perpetua egestate serdentibus sit & mors solatium & vita supplicium &c.

§. XXXIX. Tandem filii, qui in S^Cti Macedoniani fraudem sese patres, mentiuntur, in eo contra leges peccant & puniuntur amissione exceptionis, e S^Cto illo competentis, & beneficii competentiae, quo ipsis alias succurri supra diximus l. 3. §. 3. l. 7. §. 3. ff. d. S^Cto Maced. j. c. 88. d. R. f. 6.

§. XL. Restat, ut exponamus, quænam potestas a legibus concessa sit filiis, circa ultimas voluntates. Videntur quidem illi hic nullam penitus habere, quum Lex XII. Tabb. de solis patribus, loquatur, his verbis: *Pater, uti super familia pecuniæve sua legasset, ita jus esto.* Auct. libri ad Herem. l. 1. ubi legandi vox latissime accipitur, ut omnem comprehendat ultimam voluntatem l. 120. ff. d. V. S. & videtur lex dispositione hac respexisse ad durissimam conditionem, in qua filii, eo tempore erant constituti. Nam quidquid acquirebant, patribus acquirebant, adeoque nil poterant habere, de quo disponderent. Perspicue SENECA lib. 7. d. benef. *Omnia patris sunt, quæ in liberorum manu sunt.* Diserte etiam prohibentur filiis, testamenta condere pr. Inst. quib. non est, perm. fac. test. Hac olim indistincte obtinuisse, distindendum non est: sed postquam filii.

filii. successu temporis coeperunt bona proprio jure possidere, acceperunt simul jus de iis disponendi per ultimas voluntates. Jam si examinemus varia eorum bona, respectu facile est, quousque illud jus sese extendat.

§. XLI. Primum itaque huc pertinent bona eorum castrensia: hæc eos libere, quicumque voluerint, testamento relinquere posse, indubitati juris est *l. 15. Cod. d. testam. milit.* quia in his habentur pro patribus familias *l. 2. ff. ad SC. Maced. l. ult. §. 1. Cod. eod.* eademque pleno jure ad eos, nullo autem ad patres pertinent *pr. Inst. quib. non est perm. fac. test.* Condunt autem testamentum de peculio castrensi duobus modis, jure scilicet communi & militari: jure militari, quando sunt in expeditione constituti, ubi sufficit declaratio voluntatis quomodocunque facta *pr. Inst. cod.* Quod si igitur in acie sint occupati, ad testamentum nuncupatum duobus *a. l. 1. l. 40. ff. d. test. milit. pr. Inst. cod.* ad scriptum nullis indigent testibus *l. 15. C. eod.* in castris degentes utroque modo duos testes adhibent, (non quidem jure civili, ubi ad testamentum scriptum nullis testibus opus est, sed) jure Imperii per *R. I. d. A. 1512. tit. 2. §. 2.* etiam hodie *CARPZOV. P. 3. C. 4. d. 26. l. 40. ff. eod. j. l. 12. ff. d. test.* Quando autem filii extra expeditionem deprehenduntur in aliis locis v. g. in praesidiis, ubi hostium incursionibus non sunt obnoxii, tunc non adjuvantur privilegio militari, sed testari debent jure communi, omniaque ea observare, quæ ad testamenta paganorum requiruntur *pr. I. d. milit. test.*

§. XLII. In quasi castrensibus filii, iidem habentur pro patribus, hinc etiam testari de iis possunt & dictum est supra, ratione quasi castrensiu idem illis competere jus, quod habent in castrensibus. Hoc tamen cum
 ali-

aliqua distinctione intelligendum est in materia testamentorum, ita ut possint quidem de quasi castrensi peculio testari, sed non eo, quo voluerint, modo. Etenim filiusf. certo casu potest testari, ut vidimus, de peculio castrensi, citra solennitates alioqui necessarias: filiosf. autem de quasi castrensi illud non permittitur; sed si velit testari, observet semper communem & licitum & consuetum testandi ordinem §. ult. *Inst. d. milit. test. l. ult. Cod. de inoff. test.*

§. XLIII. Quod attinet ad bona adventitia atque profectitia, ea huc non pertinent: nam quia hæc patris sunt pleno jure, & in illis, sive regularibus sive irregularibus, filiosf. non habentur pro patribusf. ideo de iis non possunt condere testamentum. Expresse id illis prohibetur *l. n. Cod. qui test. fac. poss.* quæ prohibitio eo usque producitur, ut filiosfam., ne quidem consentientibus patribus, de his testari queant *d. l. 1. §. pr. Inst. quib. non est perm. fac. test. l. 6. ff. qui test. fac. poss.* Ratio hæc est, quia testamenti factio est juris publici *l. 3. ff. eod.* adeoque non potest concedi ab homine privato, quum privatorum conventio non derogat juri publico *l. 45. §. 1. ff. d. R. J. l. 38. ff. d. pact.* Imo si filiosf. in vitis legibus condiderit testamentum, & postea sui juris factus decesserit, testamentum illud nihilominus erit nullum: nam quod ab initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere *l. 29. ff. d. R. J.* Quæ dicta sunt de testamentis intelligi etiam debent de aliis ultimarum voluntatum generibus, fideicommissis puta, legatis.

§. XLIV. Postremo loco sciendum, filiosf. certo modo posse etiam mortis causa donare, & quamvis hoc esse negotium ad actus inter vivos potius videatur referendum,

17
dum, quia duorum consensu perficitur *l. 38. ff. d. mort. caus. donat.* quod in ultimis voluntatibus secus est: quia tamen validitas hujus negotii in tempus mortis confertur; non incommode, opinor, hujus nostræ, posteriore loco institutæ considerationis est. Ut ñois instituto imponatur, paucis nos expediemus: Filiisam, igitur dum mortis causa donant, id faciunt de diversis eorum pecuniis. Quando de peculio profectitio hoc pacto donant, patris consensum adhibent *l. 25. §. 1. ff. d. mort. caus. don.* qui illis in eo majori adjumento est, quam in testamenti factioe, quum mortis causa donatio non publici, sicut hæc, sed privati sit juris. Idem obtinet in donatione m. c. suscepta a filiis. de peculio adventitio regulari per *d. l.* Quod si autem donare velint de peculio castrensi & quasi castrensi, hoc citra consensum parentis facere possunt: quia de quo quis potest testari, de eo etiam potest m. c. donare *l. 6. §. 3. ff. d. jur. Cod.* Sed anne illi consensu patris etiam indigent, si cupiant m. c. donare de peculio adventitio irregulari? an vero vel invito patre eo nomine donant? Posterius nobis obtinere videtur cum ULRICO HUBERO *Pos. Jur. Contr. ad tit. ff. d. mort. Caus. don.* quum in *Nov. 117. c. 1. §. 1.* expressis verbis dicatur, quod filii de hisce bonis, quo volunt modo disponendi habeant licentiam.

T A N T V M.

D

NOBI-

NOBILISSIMO CONSULTISSIMOQUE

RICHTERO,

IVRIVM DOCTORANDO

DIGNISSIMO,

S. P. D.

IO. FRIDER. WVCHERER,

PHTS. DOGM. IN ACADEMIA IEN.

F. R. Q.

Illuxit tandem dies ille latissimus, quo cathedram adscendis, quam, ob doctrinam TVAM haud vulgarem, aperuit TIBI illustris ordo ICTorum. Mereri videbatur eruditio TVA hanc benevolentiae erga TE testificationem. Siue enim linguarum exoticarum plurium notitiam, siue rerum & philosophicarum, & ad utrumque ius attingentium peritiam eximiam requisierit aliquis, TE reperiet instructissimum: ita fructus prodeunt, quos ut consequeris, studio laboreque multo effecisti. Et dotes ingenii praclaras, quibus a natura instructus es, & animum non nisi eruditionem solidam, virtutemque veri nominis quarentem, aliaque cumulatissime in TE copulata

lata deprehendi, quæ magnam omni tempore
ex ipsa consuetudine T V A delectationem mihi at-
tulerunt. Ex animo itaque T I B I honores in iure
summos gratulor. Faxit summum Numen, vt
hinc enascatur T I B I occasio eruditionis T V A E
quem collegisti apparatus, distribuendi in com-
moda aliorum iuxta T E viuentium : sequentur
ita præmia meritorum T V O R V M, quæ vix ab istis
solent separari. Pluribus in laudes T V A S ex-
currerem, nisi amicitia veteris lex, quæ a multis
annis inter nos viget, prohiberet. Hoc T I B I
persuadeas velim, T V A M mihi familiaritatem, au-
ro semper futuram cariorem. Vale, faue, res-
que T V A S age feliciter. è museo d. XVIII. Maji
C I D D C C X X V.



Luxuriante novis distincto floribus arvo;
Germinibus cingit tempora docta Themis
Et defert, RICHTERE, Tibi nunc Juris hono-
nores,
Judicio penetrans ardua jura fori
Perfundit dulcis, turba plaudente, voluptas
Pectus, nam RICHTER nomen & omen habet.

Hicce, Praenobilissimo, Clarissimo
Doctissimoque Domino Docto-
rando, Fautori ac Amico suo
plurimum honorando sese com-
mendare & quaecunque felicia
apprecari voluit imo debuit

FRIDERICVS CONRADVS
VVERCKMEISTER,
OPPONENS.



Jena, Diss; 1725




f

sb.







1725, 2 154
DISSERTATIO INAUGURALIS IVRIDICA

DE

**NEGOTIIS FILIORVMFAMI-
LIAS CVM INTER VIVOS, TVM** 3
PER VLTIMAS VOLVNTATES,

Oder:

**Wie weit unter väterlicher Gewalt noch stehende Kinder Con-
tracte eingehen und Testamente machen können?**

QVAM

DEO T. O. M. ADIVVANTE
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DOMINO

GVILIELMO HENRICO,

DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM,
ANGARIAE, WESTPHALIAE, RELIQA,

EX DECRETO

ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS

PRAESIDE

GVILIELM. HIERON. BRVCKNERO,

ICTO, CONSILIARIO SAXONICO, PANDECTARVM P. P. CV-
RAE PROVINCIALIS, FACVLTATIS IVRIDICAE ET SCA-
BINATVS ADESSORE GRAVISSIMO

PATRONO ET PRAECEPTORE SVO DEVOTE COLENDO

PRO LICENTIA

**SVMMOS IN VTROVQVE IVRE CAPESSENDI HONORES
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA**

AD DIEM XIX. MAII 1725.

FRVDITORVM EXAMINI PVBLICO SVBMITTIT

IOH. CHRISTIANVS RICHTER, LEVCOPETR.

SERENISS. MARGGR. BRANDENB. BARVTHINI SECRETARIVS.

IIENAE, LITTERIS BVCHIANIS.